✠

CARMEN

DE BEATISSIMO PATRIARCHA

DIVO JOACHIMO

SANCTISSIMÆ VIRGINIS GENITRICIS

DEI MARIÆ

FORTUNATISSIMO PARENTE,

PUBLICÈ PROLATUM

IN SANCTA METROPOLITANA,

ET PATRIARCHALI ECCLESIA

HISPALENSI

DIE 1. DECEMBRIS ANN. 1777.

A D. JOACHIMO CARAVALLO,

ET VERA,

IN AULA TERTIA, ET QUARTA

COLLEGII MAJORIS

S. THOMÆ AQUINATIS

IPSIUSMET CIVITATIS HUMANARUM LITERARUM STUDIOSO ALUMNO,

ET ELABORATUM

A P. Fr. FERDINANDO REYNOSO,

IN PRÆDICTO MAJORI COLLEGIO LATINITATIS ac Rhetoricæ Professore.

Superiorum permissu, Hispali, apud Typographum Majorem ejusdem Nobilissimæ, Fidelissimæque Civitatis.

CARMEN
De Beatissimo Joachimo Sanctissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ Parente.

MAgna Palestinæ memorans præconia Gentis,
(Insignis Præses: circumstantûmque Corona:
Humanis Studiis incumbens chara Juventus:)
Magna Palestinæ memorans præconia Gentis;
Non populo vndantes Urbes, non fulta columnis
Marmoris Œbalii turrita Palatia Regum,
Non Libani sacri juga frondosissima montis,
Non vulgi studia, vrbani non jura Senatûs,
Non Solymos ritus, stellisque minantia Templa;
Horrida sanguinei Martis non prælia dicam:
Sed cano facta Viri prisco de Sanguine Regûm
Isacidum, fatis quondàm melioribus orti,
Difficiles cassus, sterilem, tristemque hymenæum,
Et curas grâdeis, & formidata doloso
Incrementa Jovi Stygio, populoque silentûm.
Tu, vatem, tu, Diva, mone, cui militat Æther
Omnis, & ad cultus Lunæ succincta cothurnos,
Syderibusque caput, cunctis prælata puellis,
Primævæ concepta nites sinè crimine culpæ,
Annue conanti per laudes ire Parentis,
Virgo, tui, nostræque adsis Cynosura carinæ:

Tu

Tu mare, tu ventos, tempestatesque sonoras
Concilias, tu communis miserata laboris,
Auspiciis benigna tuis mortalia curas,
Non pertæsa genus, generis data gloria nostri.
Connubii vanos vsus, sterilemque hymenæum
Lamentabatur Joachim, tristissima vitæ
Tempora trajiciens, lacrymisque rigantibus ora,
His Annam sociam dictis affatur amicis:
O dilecta mihi conjux, custosque pudoris,
Et consors Thalami, castæ, tædæque jugalis,
En properant cani, cum frigescente senecta,
Et nostræ sinè prole abiit pars maxima vitæ.
Jam pœna est totum, quod vivimus, omnia secum
Præteriens tempus rapuit, servamur in omne
Dedecus, & fatum nostræ miserabile gentis
Nos soli steriles, nec erunt, qui lumina claudant
Nostra, nec assimiles vultu exurgenrque nepotes,
Qui titulos curent, nec, qui nascentur ab illis,
Ipsorum sobolem nostro de nomine dicent.
Talia querenti conjux longæva dolorem
Vultu dissimulans, alta jam mente repostum,
Et reprimens lachrymas, placido hæc sic reddidit ore:
Chare quid Abramidum, Joachim, generosa propago,
Mæstus alis venis inconsolabile vulnus,
Et fundis lachrymas, quæ sunt fomenta doloris,
Cujus sævitiæ indulgens absumeris omnis:
Pone modum, Joachim, tantis jam fletibus, atque
Id, quod perpetuas Orbis molitur habenas,
Numen adorandum, nostræ quod cura salutis
Sollicitat, cujus nutu sua munera tellus
Fundit, & afflictæ quod dat solatia vitæ:
Antiquos memorare Atavos, Proavosque require,

Qui

Qui prece, & assiduis Cœlestia Numina votis
Progeniem sterilis exoravêre precando.
Num puer Isacus sterili de matre creatus?
Num Prorex oræ Memphis formosus Joseph,
Annosæque Deo sacratus filius Annæ
Talibus auspiciis exorti in luminis auras?
Quis scit an è nobis sit surrectura propago,
Ex qua nascetur melioris conditor ævi?
Interea Joachim solitos actorus honores
Ingreditur, sancta quod religione colebat,
In Templum Salomonis, opus memorabile famâ.
Festa dies aderat, qua concurrentibus omni
E Regione viris, quamvis latissima Templi
Atria, vix caperent turbas Juvenûmque, Senûmque.
Tum Joachim festos speciem comitantis honores
Edentem, Sacris Mystes præpositus Aris
Placatum solito cœlestia Numina ritu
Ad Templi portas hæc conspexit eundem.
Continuò Joachim magna cum voce Sacerdos
Talia dicta dedit. caveas vel limine in ipso
Ingressum, quod magna decet reverentia Templi.
Tu sceleris tanti, quanti sinè prole parentes
Damnantur, Divum penetralia conscius intras?
Immemor es Sanctis quod sit Deus ædibus vltor?
Extemplò Sacras Aras, ac Templa relinque.
Quid Joachimus agat, nescit, quò tendere detur,
Ignorat pentùs, sponsæ mœrentis imago
Et subit, & læso damna allegata decoro.
Deserit Templum, commentantesque catervas
Multa super Joachim, super ejus conjuge multa.
Tum dulcem Sponsam, consanguineosque relinquens,
Jurgia clamosi vulgi maledicta perosus,

Ac-

Acceleratque fugam, domibusque excedit avitis,
Quod superest vitæ in sylvis tracturus opacis,
Et montana jugis Cœlo minantia lustrans,
Judaicos penetrat profugus loca sola recessus.
Tunc, quos concepit tacitè, querulos vlulatus
Afflictus mœrore gravi de pectore traxit,
Indulgens lachrymis indigna rigantibus ora,
Talitèr Æternum Numen Cœleste precatur:
O Deus Omnipotens hominum, rerumque Repertor
Aspicis hæc? annè Isacidas exosus ad vnum,
Qua respexisti humanos pietate labores
Jam tibi despectos nos dedignare jacentes?
Aspice queis verser fortunæ casibus, & quot
Quantarum telis rerum confixus iniquis,
Ludibrium vulgi, patriisque penatibus exul,
Invisus Solymis, et, quod me indigniùs vrget,
De Templis, Arisque tuis discedere jussus,
Aspice me miserum: rebus succurreque fessis.
Talibus orabat Joachim gemebundus, in altum
Lumina convertens non conniventia Cœlum.
Aliger en varius clamydata in veste Minister
Æthera per nitidum claro delapsus Olympo,
Ventorum immensos tractus fulgentibus alis
Findens, terrenis velox allabitur oris:
Et visus Joachim roseo sic farier ore:
Gentis Jesseæ decus immortale futurum,
Lætus ab excelsa venio tibi Nuntius Aula,
Hæc veneranda ferens superi mandata Tonantis:
En tibi conjugio sterili nascetur ab Annæ
Filia, spes domus, & Cæli cantanda Theatris,
Cujus fœcundum veniens labetur in alvum
Ipse Deus, Genitrixque Dei, mansuraque in ævum

Vir-

Virgo, fetens secum concordia fædeta pacis
Æternæ, & populis Saturnia regna tedibunt.
Quare age, & ad sponsam, patriasque regredere sedes.
Dixit, & in liquidas subitò se sustulit auras.
Tunc Joachim, cui magna parans, artisit Olympus,
Talibus auguriis lætus, monitisque secundis,
In Cælum supplex palmas vtrasque tetendit
Cum prece, cum votis, & Sanctum Numen adorat,
Et grates habuit magnas, quod munera Regis
Cognoscit Superûm, quod fundatura quietem
Promissum Isacidis donum Pax candida pennis
Labitur ex alto radiantis culmine Cœli.
Protinùs indè domum temeans, Annamque revisens,
Cælitùs admonitam nova de ptole datuta
Commoda non solùm Populo festiva Judæo,
Sed quæ diversas gentes factura beatas,
Tàm felix esset quàm matrum maxima Mater,
Æterno terum Domino cum conjuge grates,
Et laudes dignas memori de pectore solvit.
Sed jam tempus etat quo Annæ sua tempora venter
Cum complevisset, Cæli plaudentibus aulæ
Ordinibus, prodit dias in luminis autas
Libera communis noxæ, promissa propago.
Ecce Puella: decus Superûm, Reginaque mundi,
Quæ nive candidior, claris quæ pulchrior Astris,
Formosas cunctis venetes mottalibus hausit.
En puppam: viden excelsæ quæ gloria ftonti!
Quis capiti decot insignis! Quæ gratia vestit
Lumina! Quæ in roseis perfusa cotallia labris!
Quantus in ore lepos! Qualis, quantusque genarum
Cultus! Purpureo quas pinxit honesta pudote,
Innumetas abdens divina modestia dotes.

Con-

Convenère Nurus, quotquot vicinia fecit
Participes plausus: magna tùm fervuit omnis
Lætitiâ, cantuque domus, resonantia passim
Gaudia festivo longè comitata susurro
Excipiebantur, necnon longo ordine cuncti
Undiquè currentes consanguinitate propinqui,
Conjugibus de prole nova gratantur amicis.
Sed jam fata sui Joachim compleverat ævi,
Et fragiles anni suberant, tristisque senectus,
Annorum meritis numerum superantibus illis,
Quæ peperit mentis candor, moresque sereni:
Cum subitò tristi morbo languescere cæpit:
Jamque supercilium, jam oculi, cervixque gravati
Signà dabant lethi præstò manifesta futuri:
Tunc Annam invitans claudenda ad lumina charam,
Lætus, & exultans tranquillo fine quievit.

D I X I.